



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 4. Patriarcha solemniter exceptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Laici oblatam sibi abrogandæ usurpa- Sæcul XVI.
 tionis occasionem nacti pristinum jus A.C. 1553.
 revocabant, vi cuius Patriarcham dein-
 ceptis per suffragia eligendum fore de-
 clarabant: Convenere igitur in civita-
 te Muzal nonnulli Episcopi, qui tum
 soli huic genti supererant, unacum
 Babylonæ, Tauris, Ecbatanæ, Nisi-
 bis, aliarumque plurium urbium Depu-
 tatis, qui una omnes in Sulakam Da-
 nielis filium ex nobilissimo genere de
 Balla ortum sua suffragia conferebant.
 Erat is Vir ob perspectam morum pro-
 bitatem, doctrinæ eminentiam, atque
 Orthodoxæ fidei studium longe celebra-
 rimus, qui non nisi per vim ex Mona-
 sterio, *Rabban Hormisd* nuncupato, in
 quo cum summa virtutum laude vixe-
 rat, extrahi potuit. His, aliisque præ-
 clarissimis dotibus eminuit Salaka, qui
 a proprio suo Clero Romam mittebatur,
 ut electionis suæ confirmationem obti-
 neret, prout mox meminimus.

§. IV.

*Patriarcha a Papa solemniter excep-
 tus.*

Hunc Patriarcham cum insolita ani-
 mi benevolentia exceperat summus
 Pontifex, ejusque electionem ratam
 habens, ipse illum consecrabat, po-
 stea

M m 2

stea

Sæc XVI.
A C 1553.

stea vero in pleno Patrum Senatu eadem *Pallium* tradebat, ac denique die decima septima Mensis Aprilis illum amplissimis muneribus locupletatum in patriam remittebat, adjunctis quibusdam Religiosis Syri sermonis, ac Ecclesiæ Romanæ rituum peritis, ut hi fidem Catholicam eo facilius in hæc regionem propagarent.

§. V.

Fidei professio ab hoc Patriarcha facta.

Onuphrius
l. c.
Roynaldus
n. 44.

Ceterum fidei professio, quam Sulaka Patriarcha summo Pontifici porrexit, tredecim complectebatur articulos, in quorum primo. „Profitebatur Deum in natura unum, atque in „Personis trinum, Spiritum Sanctum „quoque a Patre, Filioque tanquam „principio procedentem II. Credebat, „quod unigenitus Dei Filius Patri con- „substantialis, semperque cum Patre, „& Spiritu existens in plenitudine tem- „poris incarnatus sit de Spiritu Sancto „in immaculato Beatæ Virginis utero. „III. Profitebatur, quod Dei Filius „ex Maria semper Virgine, ac vera „Dei Matre natus, vere passus, mor- „tuus, & sepultus fuerit, vereque cum „anima descenderit ad inferos ad libe- „ran-